AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS CONCERTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM PARISIENSIVM, DIE IOVIS 21. MENSIS. NOVEMBRIS MAGISTRO MICHAELE TOVTAIN, DISCEPTATORE PRVDENTISSIMO.

An inuitæ in morbis acutis Lachrymæ θανατώδεις.

HOMO dignitate & ἐνεργείᾳ animantes præcellens, multiplici quoque affectuum genere deprimitur, ab ortu ad interitũ nullæ morbis induciæ, vbique bellum vbique discordia, pax nulla vel breuis. Status hominis salubris, neuter, insalubris, in perfecta sanitate, quæ in ἰσονομίᾳ, vt ægritudo in ἀνωμαλίᾳ, vix diu moratur: in neutrâ aliqua tranquillitas. Lædit sæpius contracta morbi labes certis & veris signis vitæ aut fatalis necis conspecta, præsentium & futurorum causas, species, sedemque morbi indicantibus, quorum ope tota concluditur ars medica, hinc patent omnium sensibus quæ in imâ corporis densâ atrâque caligine delitescebant, Quid? haud ue latent nos dispertita febrium genera, & si intermittentium pabulum in minores venas, continuarum maiores obrepat: vt faciliùs & ociùs earum cognitio vrinis quàm pulsibus elicitur, sic tutius κρίσει quàm λύσει iudicantur.

IN signorum discrimine alia aliis certiora, præstant ἀχώριστα καὶ ἴδια. In his veritas elucet, quia sedis affectæ actionẽ, dolorem, locum, & excrementa arguunt: quouis anno, & quouis tempore mala, malum, & bona, bonum. Hinc spontaneæ lassitudines morborum prænuntiæ, hinc siccitates imbribus salubriores, vnicuique autem parti & affectui, singulæ congruunt notæ, membranarum & neruorum indicia acutus & punctorius dolor, omnis ab excessu caloris cui nocet iejunium, in arteriis, venis, & cerebro grauis, obtusus à frigido & copioso humore qui in occiput citiùs, vt sanguis in frontem, decumbit. Raro partes afficiuntur morbis, nisi actiones aut minuantur, aut deprauentur, aut exoluantur. Notat χορδαψὸν in intestinis stabulantem ventris superioris & inferioris dolor molestus quem vomitus, aut singultus, aut desipientia, aut conuulsio, funestum efficiunt, nisi febre superueniente copiosa vrina fluxerit, hepatitim quæ in abcessum lethalis, tumor, dolor, febris assidua, dyspnœa, & tussicula inanis: Pleuritidis exquisitæ, senibus insanabilis, spirandi difficultas, dolor lateris punctorius, tussis, & cõtinuum incendium, soboles. Ab eo fonte comparatur, qualis sit morbi euentus, longus aut breuis, salutis aut mortis, quæ excretorum coctione aut cruditate certo dignoscuntur.

AT verò oculorum vis & maiestas non parui penditur, maximè ex eorum obtutu, quo animi propensio, mentisque indicia eliciuntur. Horum sunt indices & exploratores, internosque affectus foras proferunt, in his benignitas aut sæuitia, amor vel odium: hinc lusci, pæti, strabones, plerique versipelles, vafri, subdoli, captiosi, lubrici, ac miris strophis instructi, in morbos multa licent illis ὀφθαλμοὶ γὰρ ὡς ἂν ἰσχύωσιν οὕτω καὶ γυῖον, & color in melius aut deterius labitur: hinc rubore saturati, aut sanguineis filamentis striati, ex cerebri inflammatione furorem denunciant, quod si liuescant, aut plumbeo nigróque colore perfusi, caloris natiui νέκρωσιν, vitæque interitum prædicere creduntur. Sic vires effœtas oculi caui, squalidi, & decolores, quales nouis conjugibus, declarant: vegetas, florido colore, & splendido humore affluentes, dubium est an postremi perficiantur, exutâ tamen mobilitate præ cæteris emoriuntur. Ab his autem tanquam cerebri emissariis effluunt lachrymæ futuræ mortis prænuntiæ.

ΔΑΚΡΥΜΑ humor sudori congener duabus semitis in oculos surrigatur, vt eorum peremni motu substantia quæ foret arida humore aqueo tepesceret: vtrique spiramento superjecta est caro neruosa, lachrymarum frænum, quo veluti obice ab exitu repelluntur, ac veluti suffrænatur humoris illuc deflua redundantia, ex compressione aut laxitate meatuum effluunt κατὰ προαίρεσιν καὶ ἄνευ προαιρέσεως. Pariunt ἑκουσίας animi pathemata, & acrium rerum odores: in gaudio plures expanduntur, quas timor omnino repellit, cur mœrentes & lætius ridentes lachrymantur? illi quidem frigore & pororum densitate, ἡ γὰρ λύπη ψύξιν καὶ πύκνωσιν ἐργάζεται τῶν πόρων. Hi verò raritate, Annon vinolentis plenæ iucunditatis? ἀκούσιαι retentricis facultatis ἀτονίᾳ profusæ, cerebri, oculorum, aut totius corporis per sympathiam θάνατον prænunciant, vnde aliæ criticæ quæ & salutares, aliæ symptomaticæ acutis morbis succedaneæ, mortem accersunt.

ACVTORVM morborum qui quatuordecim diebus finiuntur, certæ sunt salutis aut mortis prædictiones, illæ πεπασμῷ hæ ἀπεψίᾳ. Pleuritico cui nociuum catharticum exhibere, nihil optabilius quàm vt expectorabilis materia pepasmo mitificata per ἀνακάθαρσιν καὶ ἀνάπτυσιν breui excludatur, quæ si ctuda remaneat, periculo nunquam defungetur. Parotis iuuenibus quàm senibus periculosior, spem sanitatis certam pollicetur si suppurati fiat particeps, neque tamen coctionis vacuitas omnino adfert ægro periculum, nisi aut inflammatio, aut κακοήθεια aut peremnis materiæ morbificæ μετάστασις partis imbecillitatem comitetur, vnde lienteria hydropis consectaria mortem breui testatur, hanc citiùs accelerat cordis tremor virginibus fœdo colore suffusis, ictericis, & splenicis, eò deterior, quò frequentius animi defectionem parit. Cerebrum verò vt corporis partibus præstantius, ita singulis per venas, arterias, & neruos, humore, vapore & flatu compatitur, hoc omnis generis intemperies exercet, frequentius quæ acutis morbis, à ferina vtriúsque bilis qualitate, viuificum caloris natiui pabulum exhaurit, sicque cùm omnes eius facultates, retentricem præsertim oculorum carunculis insitam, ac musculis tabefactis exoluat, tandem perennis lachrymarum fluxus consequitur.

Ergo inuitæ in morbis acutis lachrymæ θανατώδεις.

Asserebat LVTETIÆ NICOLAVS ROVSSEAV Trecensis, anno Domini 1613.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Philbertus Guibert
M. Ioannes Pietre
M. Ioannes Cousin

M. Hieronymus Goulu. P. Regius
M. Simphorianus Haultin
M. Henricus Blacuod

M. Simon le Tellier M. R.
M. Richardus Marchetz
M. Simon Bazin